



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessimvm-Octavvm De Matrimoniis, &  
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

Qualiter coniuges sibi inuicem alimenta subministrare debeant. §. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

Judice Ecclesiastico censuris, & brachio seculari inuocato iuxta Textum, in cap. litteras de restitut. spoliar. Vbi Abbas, n. 29. Couaruu. 4. decret. 2. p. c. 7. initio, num. 1. Anton. Cucus lib. 5. instit. maiorat. tit. 1. num. 126. Quinimodò si controuersia non sit de matrimonij valore à seculari Iudice potest compelli, eo quod obligationi naturali ex contractu debet non satisfaciatur, vt bene notauit Glossa in cap. non est de sponsalib. per Textum ibi, Per officium Iudicis, vel Episcopi loci. Et tradit Couaruu. supra n. 3. Sanch. aliis relatis, lib. 9. disp. 4. n. 7. Postquam Iudex Ecclesiasticus aduersus quemlibet alieni coniugis detentorem procedere iuxta dictum Textum in cap. non est de sponsalib. quia ad Iudicem Ecclesiasticum spectat iura matrimonij, vt potè Sacramenti defendere, vt bene notauit Abbas in d. cap. non est. num. 3.

2. Huic obligationi habitandi simul possunt coniuges ex mutuo consensu cedere, si iusta cessionis adit causa, & nulum incontinentiæ sit periculum, vt colligitur ex Paulo 1. Corinth. 7. Nolite fraudare inuicem nisi ex consensu ad tempus vt vacetis orationi. Dixit ad tempus, ob periculum incontinentiæ, vt constat ex illis verbis: Reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas. Quare secluso incontinentiæ periculo possunt coniuges thoro separari in perpetuum amore continentiæ, non ex odio, & indignatione, vt deciditur cap. sunt qui. 27. q. 2. & cap. quod Deo 33. q. 5. Verum si periculum adit incontinentiæ etiam ex consensu sit facta in perpetuum separatio, dissolui debet lege charitatis ad id obligante, vt bene aduertit Sanch. dicto lib. 9. disp. 4. num. 5. Quapropter Iudex Ecclesiasticus nulla ratione coniuges iuniores permittere debet separatiuè viuere, quia periculum incontinentiæ timeri potest, vt rectè dixit Abbas, cap. 1. num. 7. de coniugio leprosor. Et ibi Alexand. de Neuo, num. 6.

3. Secluso prædicto consensu peccatum graue est coniuges diu esse separatos nisi causa alenda, gubernandaque familiæ, vel Superioris præceptum, aliâve similis necessitas intercedat, vt constat ex cap. 1. de coniug. leprosor. Quapropter nequit maritus inuita vxore longam peregrinationem vouere; quia ea absentia non est ex causa necessaria. Neque obest, quod vxor maritum discendentem sequi teneatur iuxta Textum in cap. vnaqueque 1. q. 2. quia id verum est, quando ex causa necessaria discedit, vel discedit alicubi diutius commoraturus, secus quando discedit vagaturus, cuius comitatus vxorem nõ deest, sicuti aliis relatis notat Sanch. lib. 9. disp. 4. n. 15. Notanter dixi longam peregrinationem; nam breuem optime potest vir inuita vxore præstare. Cum enim caput vxoris sit, non deest ita vxoris consortio affectum esse, quin possit aliquandiu recreationis causa ab ea discedere, quod nullatenus vxori vt potè viro subiectæ permittitur, maxime cum eius statum non deceat peregrinatio.

4. Ex causa verò familiæ, vel reipublicæ necessaria potest vir ab vxore diutius separari, secus vxor à viro absque eius consensu, cum penes virum sit familiæ gubernatio, & vxor raro militiæ, negotiisque tractandis idonea sit. Discendentem autem maritum ex prædicta causa vxor sequi debet, si facile possit iuxta Textum in c. vnaqueque 1. q. 2. Nam cum penes maritum sit necessaria ad familiæ gubernationem, & sustentationem providere, & matrimonij natura postulet cohabitationem mutuan, tenetur vxor maritum discendentem sequi si facile potest, nisi forte in contractu matrimoniali fuerit hæc obligatio excepta, de quibus lae dixi disp. 1. huius tract. p. m. 15. Vbi an vxorem relegatam teneatur vir comitari?

5. Verum vir ab vxore ex prædictis causis discedens non tenetur secum vxorem eum comitari volentem deferre; quia plerunquè id molestissimum esset, nec leuibis expensis subiectum. Quare nisi vir aliquo in loco diu commoraturus sit possitque absque graui incommodo, reique familiaris iactura secum vxorem deferre non obligatur, vt rectè dixit Sanch. lib. 9. disp. 4. num. 14.

6. Ad extremum aduerte ob votum castitatis emissum, vel affinitatem contractam, etsi liceat coniugi separare thorum, non tamen domum, aut mensam, quia prædicta solum copulam impediunt, non tamen mutuan obsequiorum communicationem, & cohabitationem domesticam, & commensalem, vt docuit Glossa in c. nosse verbo non fraudentur. 30. q. 1. Abbas in c. si vir in sine de cognat. spirit. & c. 2. n. 2. de coniugio leprosor. Sanch. aliis relatis, lib. 9. disp. 5. in fine. num. 19.

### §. II.

#### Qualiter coniuges sibi inuicem alimentata subministrare debeant?

1. Coniuges obligantur sibi mutua præstare obsequia in sui, suorumque sustentationem.
2. Accepta dote, & fortuito pereunte, vel ex culpa mariti tenetur maritus vxorem alere.
3. Si vxor ab eius obsequio absque necessaria causa recesserit, non tenetur maritus eam alere. Secus si ex causa necessaria.

4. Item excusatur maritus si inops sit, & qualiter si pecuniam mutuan accepit.

5. Item excusatur maritus ab alimentis vxori præstandis, si dos promissa soluta non fuerit.

6. Non excusatur ab obligatione reddendi debitum, corrigendique vxorem.

7. Qualiter vxor obligari possit ad laborandam marito?

Conueniunt Doctores coniuges obligari sibi mutua præstare obsequia in sui, suorumque sustentationem. Quapropter vir tenetur vxorem, eiusque filios alere, quia ad prædictum effectum eam dotatam accepit, vt constat ex leg. pro oneribus. Cod. de iure dotium. leg. dotis fructus ff. eodem tit. Quod si indotatam accepit ab ea obligatione non liberatur. Præsumitur namque sola vxoris persona contentus esse, vt docet Surdus de aliment. tit. 1. q. 1. num. 1. & tit. 7. q. 1. num. 1. Mattien. lib. 5. recap. tit. 1. leg. 3. gloss. 2. n. 29. Barboia 2. p. Rub. ff. soluto matrim. n. 43. Sanch. aliis relatis lib. 9. disp. 5. n. 8. Quod intelligendum est casu quo vxor pauper sit, nam si diuites existat dotem constituere tenetur; tacite enim censetur vir de dote pactum inire, dum vxorem diuitem accepit. Quod si ipsa postmodum renuat dotem assignare, eximitur vir ab obligatione eam alendi, sicuti si à principio dos sibi fuisset promissa, nec tamen soluta, vt optime tradit Bald. leg. fin. num. 9. Cod. de sententiis, qua sine certa quant. Ioann. Lup. cap. per vestras de donat. inter vir. & vxor. notab. 3. §. 2. n. 1. & leg. Gomez Arias, leg. 27. Tauri. n. 190. Sanch. lib. 9. disp. 5. n. 9. At si non vxor, sed eius parentes diuites sint, cogi possunt iuxta legitimam designare dotem, vt ex communi docet Molin. Ieluita. 2. disp. 424. in princ. Interim autem à viro alenda est; quia inops est, & absque promissione dotis accepta fuit, vt aliis relatis docet Mol. disp. 425. vers. si marito dos. Sanch. lib. 9. disp. 5. num. 9.

Accepta dote, & fortuito pereunte, & à fortiori pereunte ob culpam mariti tenetur maritus vxorem alere, quia iam ob dotis receptionem subit eam obligationem, à qua ob fortuitum euentum eximi non debet, vt optime tradit Sanch. lib. 9. disp. 5. n. 10. argum. leg. si cum dorem. 2. §. si maritus ff. soluto matrim. At si ob culpam ipsius vxoris dos perit, etiam Abbas conf. 8. §. 5. n. 4. volum. 2. & Ioann. Lupus cap. per vestras de donat. inter vir. & vxor. notab. 3. §. 1. n. 1. Existimatis obligationem esse maritum eam alere ratione vinculi coniugalitatis, sicut tenetur alere vxorem pauperem indotatam, vtior mihi videtur sententia Sanch. d. lib. 9. disp. 5. n. 10. asserentis id verum esse, quando vxor careret parentibus qui eam alere possint, eo enim euentu coniugalitatis nexus exigit, vt ei vir alimenta subministrare maxime si in eius obsequio sit. At si parentes diuites habeat exculatur vir ab eius sustentatione sicuti exculatur cum dos ei promissa est, & non soluta. Perinde enim est à viro dote culpâ vxoris auferri, ac si culpâ ipsius vxoris non solueretur. Quæ omnia optime confirmantur ex leg. quod si nulla ff. de relig. & sumptib. funer. vt rectè expendit Sanch. ubi supra.

Ab hac autem obligatione alendi vxorem eximitur maritus, Primò si vxor ab eius obsequio absque necessaria causa recesserit; cum enim teneatur in viri obsequio esse, cap. hac imago 3. q. 1. §. si contra hanc obligationem recedat, merito ei alimenta denegantur. Qui enim non facit quod debet æquum est non recipiat quod oportet, Argum. leg. si ea. Cod. de condition. in heris. leg. Iulianus §. affinis ff. de actionib. empti & tradunt aliis relatis Couaruu. 4. decret. 2. part. cap. 7. §. 5. num. 2. Mattien. lib. 5. recapit. tit. 9. l. 2. gloss. 1. num. 52. Gutierrez. canonicar. 99. lib. 1. cap. 24. numero 7. Surd. de aliment. tit. 1. quest. 32. num. 17. Sanch. lib. 9. disp. 4. num. 20. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. 3. part. cap. 2. n. 2. Serus verò est si ob feruorem viri aliâve culpam discedat; quia eo casu discedit ex iustitia, & rationabili causa; ideoque alimentis debitum priuanda non est; aliâs maritus ex sua iniquitate commodum reportaret, sicuti docent expresse omnes Doctores nuper relati. Et idem est si ob mariti amentiam, vel morbum contagiosum compulsa sit discedere, quia ille discessus culpæ imputandus non est; ac proinde priuationem alimentorum inducere non debet, vt aduertit Lara leg. si quis à liberis. §. si quis ex his num. 36. ff. de liberis agnoscent. Barboia, 2. part. Rub. ff. soluto matrim. num. 43. Layman. supra num. 2. vers. præterea. Sanch. d. disp. 4. numero 25. Quinimodò censeri non debet vxor culpa sua discedere à viro, tamen ob delictum commissum perpetuo carceri detrudatur, quia ille discessus necessarius est, & coactus, cum ipsa velit viro cohabitare, & delictum in cuius penam imponitur in viro commissum non fuit, neque ad illius separationem tendit. Non igitur ob illum discessum priuari alimentis debet, vt pluribus exornat Sanch. aduersus alios Doctores d. disp. 4. n. 23. Verum si simul cum hoc discessu etiam dos publicetur, ratione publicationis dotis excusatur vir ab alimentis præstandis, vt num. præced. diximus. Et ob eandem rationem exitimo cum Mol. Ieluita tract. 3. de iust. disp. 90. n. 7. celebrato diuortio ob adulterium, & in penam delicti commissi bonis vxoris marito applicatis non esse obligatum maritum ad alendam vxorem. Perinde enim est,

at si alteri ea bona applicata essent. At vxor interpellare poterit iudicem, qui ex officio maritum compellet vxori aliunde bona non habenti necessaria subministrare, sicut ex communi docet Inl. Clarus lib. 5. sententiar. §. adulterium num. 17. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. 3. part. cap. 2. numero 2. vers. add.

Secundo excusatur maritus ab hac alimentorum subministracione si inops sit, quia nemo obligari potest ad impossibile. Quinimo vxor diues marito inopi ministrare alimenta debet, vti pluribus firmat Lara, leg. si quis a liberis §. si quis ex his, num. 14. ff. de liberis agnoscend. Surt. de aliment. tit. 1. quest. 57. num. 7. §. leg. & quest. 36. 2. num. 6. Sanch. lib. 9. disp. 4. num. 27. Quod si maritus inops pecuniam mutuo accepit ad vxorem, filioque alendos, solutioque matrimonio nulla superflua bona mariti, ex quibus illa debita soluantur, est plures censent vxorem, & filios conueniri posse, obligatoque esse, si bona habeant ad prædicta pecunie solutionem, vt potest in eorum commodum expensæ, & ratione cuius ditiores facti sunt: rectius Molina Iesuita disput. 43 §. 5. tertium est. & Sanch. lib. 9. disp. 4. num. 29. contrarium asserunt. Nam esto in eorum utilitatem illa pecunia consumpta sit, non fuit aliena, nequillis indebita. Quippe erat mariti, in cuius dominio translata erat, & licet maritus obligationem non haberet alendi vxorem, & filios cum inops esset, neque petendi mutuum pecuniam, quam soluere non poterat: at accepta ea pecunia, & illius dominus factus obligationem habet vxorem, & filios alendi, ac proinde vxor, & filii non ab alieno, sed ex vero domino, & ex sibi debitis sustentationem accipiunt, nullam ergo obligationem soluendi habent: id eoque leg. 60. Tauri, quæ hodie est lex 9. tit. 9. lib. 5. recipiunt. Decidit mulierem renunciantem lucris constante matrimonio acquisitis obligatam non esse ad res alienum constante matrimonio contractam. Et in leg. 61. Tauri hodie 9. tit. 3. lib. 5. recipiunt. aliter mulierem obligatam non esse ad debita contracta à marito, nisi probatum fuerit simul cum marito se obligasse, & in eius utilitatem mutuum cessisse: ergo si vxor, & filii expressè ad solutionem mutui non se obligauerint, tamen in eorum commodum expensum sit, non tenentur.

Tertio excusatur maritus ab alimentis vxori præstandis, si dos promissa soluta non fuerit: siue fuerit promissa ab vxore, eiusque parentibus, siue ab alio quocumque extraneo, quia maritus de dote conueniens pro alimentis vxori præstandis tenetur inuenire nullam obligationem alimentorum subire dote non soluta. Ea tamen est differentia inter promissionem dotis factam ab vxore, eiusque patre, vel ab extraneo, vt rectè Sanch. lib. 9. disput. 5. num. 5. quod dote promissa ab extraneo, & non soluta nullam maritus obligationem habet alendi vxorem, tamen si ob impotentiam non soluat: at si ab vxore, eiusque patre promissa sit, si ex impotentia non soluerit, modo tempore promissionis eam impotentiam non agnouissent: tenetur maritus vxori alimenta præstare, ac si dote receperit, quia censenda est dos ex casu perire fortuito; siquidem absque culpa vxoris, vel parentis non soluitur. Quique conueniri nequeunt pro dote soluenda vitra quam facere possunt.

Verum esto excuserit maritus ab alimentis vxori præstandis ob non solutam dorem promissam, non tamen excusatur ab obligatione reddendi debitum, ipsamque regendi, & gubernandi, quia hæc obligatio ex matrimonij contractu nascitur, à qua eximi non potest contractu non dissoluto, nec diuortio celebrato, vti tradit ex omnium sententia Molin. tract. 2. de iust. disp. 42 §. 5. si maritus dos. Sanch. lib. 9. disput. 5. num. 1. Ex qua doctrina exillimo necessario inferri maritum non posse ob dorem sibi non solutam omittere traditionem sponsæ in propriam domum, aut iam traditam expellere, quia domestica cohabitatio necessaria est; vt debitum coniugum commodè exigere, eique reddi possit. Atque ita docent Couarruu. 2. part. decret. cap. 7. in princip. num. 2. Martien. lib. 5. recopit. tit. 1. Rub. gloss. 1. num. 91. Molina tract. 2. de iust. disp. 42 §. 5. si maritus dos. Sanch. alios referens lib. 9. disput. 5. num. 17.

Superest questio, An vxor obligari possit ad laborandum marito? Cui questionis optimè respondet Laymann. lib. 5. sum. tract. 10. 3. part. cap. 2. in fine, sub hac distinctione: si enim (inquit) sermo sit de labore ad gubernationem, & sustentationem familiæ necessario, qualis est cibos coquere, lavare vestes, &c. spectari debet loci consuetudo, & status vxoris, quæ si non pariautur huiusmodi labores fieri ab vxore sed à famula, non poterit obligari à marito ad prædicta præstanda: argum. leg. in tradum la 1. ff. de operis liberor. ibi, Sed si libera quis operas promissit ad eam dignitatem pertinet, vt inconueniens sit præstare patrono operas, ipso iure hæc interdicunt. At si prædicti labores status vxoris non dedecent, vel ita pauperes sint, vt maritus famulam conducere nequeat, sine dubio ad prædictum laborem præstandum obligari à marito poterit, vt pluribus exornat Sanch. lib. 6. de matrim. disput. 6. num. 14.

Verum si loquamur de labore ad lucrum necessario, tunc

subdistinguedum est, si vxor attolit dotem ex cuius fructibus alii a marito sufficienter potest, nequaquam cogenda est ad laborandum, quia vxor non tenetur operari, vt marito lucrum acquirat, cum sic lucrata ad vxorem iure communi pertineant. At si nullam dotem attulit, vel attulit insufficientem, vel culpa vxoris, aut casu fortuito perit, cogi poterit ad laborandum iuxta eius statum, & conditionem; quia eo casu non est censenda labore in marito lucrum, sed in propriam sustentationem.

§. III.

Obligantur coniuges se inuicem corrigere.

- 1 Vterque alterum corrigere tenetur, sed cum discrimine.
- 2 Vir vxorem delinquentem moderate punire potest.
- 3 Quæ sint pœnæ, quas maritus vxori imponere possit in pœnam delicti commissi?
- 4 Punitio ex recto sine fieri debet, & delicto commensurari.

Cum coniuges indiuiduam vitæ consuetudinem retineant, æquum est vt coniugali se inuicem affectu corrigant, & ad peccatorum emendationem adiuent, hoc tamen discrimine. Nam cum vir sit caput vxoris Genes. 2. Ad Ephes. 5. & 1. Corinth. 11. potest vxori præcipere ea quæ ad familiæ gubernationem iudicauerit expedire. At vxor nullum marito præceptum imponere potest. Deinde marito exhortatione, & punitio datum est vxorem corrigere. At vxori vt potest sub viri potestate exillente sola exhortatione, non punitio permittitur. Hoc igitur supposito,

Potest vir vxorem delinquentem in pœnam delicti commissi punire, punitio inquam leui, & moderata, vt constat ex leg. rei iudicata ff. soluto matrimonio, neque enim mancipium est, nec famula, sed sociæ, & adiutrix. Quod si delictum eius conditionis sit, vt grauem punitioem exigat, non obinde marito conceditur ea punitio, sed leuis tantum, vt publicæ potestati integrum, & illæsum ius maneat puniendi prædictum delictum, si ad eius tribunal deferatur, vt notauit Victor relect. de potest. ciuili in fine. Paul. Layman. libro 5. tract. 10. 3. parte capite 2. numero 9. Neque enim vir comparatione vxoris, & paternæ comparatione domesticorum potestatem puniendi sibi subditos habent, nisi quatenus à Republica illis concessum est. Quippe potestas delicta puniendi iure ipso naturali in communitate residet, eadem namque quo plures in vnum congregantur, ea communitas potestatem habet delicta puniendi, alias nec communitas conseruari, neque in suo munere contineri possent. Verum quia communitates diuersæ sunt, aliæ perfectæ, vt est ciuitas, prouincia, regnum, nemini alteri subordinata; aliæ imperfectæ quæ partes sunt harum ciuitatum ipsisque subiectæ, inter quas minimum locum obtinent familia, integra potestas delicta puniendi vsque ad mortis pœnam in communitate perfecta residet, seu in eo qui prædictæ communitati præest; at communitas imperfecta, & qui illi præest ea solum potestate gaudet, quæ à perfecta communitate conceditur, & iudicata est sufficiens ad illius conseruationem. Quapropter maritus comparatione vxoris est potestatem habeat eius delicta puniendi, non tamen pœna graui sed leui & moderata, leuior inquam quam filiorum delicta, & longe leuior quam mancipia, quia à perfecta communitate amplior potestas non conceditur, vt ex vsu, & consuetudine constat, neque oportebat concedi, vt sic mutuus coniugalis amor efficacius conseruaretur.

Quod si roges quæ sint pœnæ permittæ marito, quibus vxorem punire possit, & quæ non? Breuiter respondeo spectandam esse loci consuetudinem attentâ vxoris conditione, quippe vxor humilis, & plebeia grauius puniri solet quam nobilis. In particulari autem certum est non posse maritum punire vxorem pœna mortis, mutilationis, exilij perpetui, carceris, vulneris, alteriusve percussiois, ex qua eius salus, vel membrum periculum subeat; has enim pœnæ sibi Respublica perfecta reseruaui, quas nec dominis comparatione seruorum permittit. Plerumque censuram subtractionem cibi maritum vti debere in vxore punienda, quia hæc pœna sufficiens videtur ad continendam vxorem, & eius defectus communiter contingentes puniendos. Cui pœnæ addi possunt aliquot reclusionis dies etiam compedibus appositis. Nam licet priuati carceres omnibus priuatis interdicanur, vt constat ex lege vltima Cod. de priuatis carceribus. Et habetur lege regia 5. tit. 23. lib. 4. noua collect. Et tradidit D. Thom. 2. 2. quest. 65. art. 3. id intelligendum est de carcere perpetuo, & ordinario, secus de carcere imperfecto, quique commisso delicto, & ad breue tempus designatur, vt rectè notauit Molin. tract. 3. de iust. disp. 1. num. 18. vxorem tamen cadere alapis, conculcare pedibus, sultibus percutere raro permittentem, quia coniugali affectu, & timori qui semper spectandus est, hæc graues punitioes si frequenter sint non leuiter obstant. Minus secus concedendam verberum punitioem, quia hæc seruorum propria est, vt colligitur ex leg. consensu post primo Cod.